



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

§. I. An vervente Prælato, liceat Canonicis collegialiter tractare de
Successoris electione?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

phil. in litteris gratia tit. de varijs mod. vacan. num. 6. & Menochium de arbitr. casu 201. n. 100. & in odiosis, qualia sunt rescripta ad beneficia propter ambitionē, ut tenet Nicolaus Garcia de beneficijs p. 11. c. 1. n. 84. Quare si in supplicatione fiat simpliciter mentio de vacatione, non expresso vacandi modo, continetur omnino modus vacandi, atque adeo impetrans beneficium vacans, illud consequitur, quocunque modo vacet, ut ex Baldo tradunt Mandos, ad Lap. alleg. 6. nu. 5. & Barbat. conf. 82. col. fin. V. non obstat, resol. 4. Item expectativa de beneficio vacaturo complectitur omnem vacandi modum, juxta Garciam p. 11. c. 1. n. 3.

1853. Not. 3. Ecclesiam viduatam in jure dici illam, quæ vacat morte pastoris; sic sumitur in c. ne pro defectu, de elect. ubi æquiparantur Ecclesia Cathedralis, & Regularis, statuiturque, ut ultra tres menses Prælati non vacet. Notat verò ad hunc locum Sylvester V. electio, 2. n. 3. vocem viduata in stricta significatione accipi pro Ecclesia destituta sponso, qualis est sola destituta Episcopo: nam solus Episcopus vocatur sponsus: at in citato loco sumi minis strictè, utpote in materia favorabili.

Not. 4. Ecclesiam, seu beneficium vacare de jure primò per naturalem pastoris ejus mortem, ut est commune, vel civilem, seu juridicam. Hæc contingit 1. per ejus depositionem factam ob aliquod crimen, v. g. ob simoniam; 2. ob crimen falsi; 3. ob crimen læsæ Majestatis. Contingit 2. per renuntiationem Pastoris; 3. per ejus translationem ad aliam Ecclesiam; 4. per ejus transitum ad Religionem cum licentia summi Pontificis, &c. Si autem Ecclesia vacet non de jure, sed solum de facto (ut si quis vi dejectus sit) alius subrogari non potest; Tholosanus de elect. c. 13. nu. 1. Sede autem, vel Ecclesiâ non vacante, prohibita est electio, ne detur occasio desiderandi mortem ejus, in cujus locum quis novit se successurum, c. 2. & 3. de concess. prebend. & Trident. sess. 24. de reform. c. 19. Ex eadem ratione, pactum, de futura successione, reprobatur, l. fin. C. de pactis; quibus positis, cum, antequam ad electionem procedatur, plura præmitti debeant, de singulis dicendum venit in seqq.

Tom. I.

§. I.

An vivente Prælati liceat Canonicis collegialiter tractare de Successoris electione?

1854. Resp. negativè, ex c. Bone, 36. h. r. §. electionem, ibi: electionem autem Archipresbyteri (quamvis laudabile testimonium perhibeatur de ipso) justitia exigente cassavimus, tum quia corpore dicti Episcopi, nondum tradito sepulture, habuerunt de ipsa electione tractatum contra canonicas sanctiones: tum quia inventus est H. fuisse contempus, licet unus solus extiterit; cum plus in talibus consueverit contempus unius obesse, quam mulorum contradictio in præsentia. Nec prædicta debet dici citatio valuisse; quia cum Episcopi mortem prævenerint, temeraria nimis extitit; & ideo non potuit arcere citatum; sic Innocentius in cit. c. nu. 2. & 3. Censetur autem collegialiter tractare de Successoris electione, citando, seu vocando electores absentes, vel statuendo aliquid circa personam eligendam, vel circa tempus, aut locum, quo electores convenire debeant. Nam hæc potestas illis non competit, vivente Prælati. Et ideo ejusmodi tractatus est ipso jure irritus, quia factus est à non habentibus potestatem quicquam collegialiter tractandi, pertinens ad electionem Successoris vivente Prælati, & constat ex Concilio Bonifacii VIII. relato in c. nullus, 7. dist. 79. ibi: nullus, Pontifice Romano vivente, aut Episcopo civitatis sue, presumat loqui, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus, adunato Clero, & filiis Ecclesie: & tunc electio fiat. Et citatio ad faciendam novam electionem, si emissa sit ante mortem Prælati, ipso jure irrita est; & ideo non constringit citatum: quia prodijt à non habentibus citandi potestatem. Quare perinde est, ac si nondum constitutus Judex aliquem citet ad diem, in quo jurisdictione præditus erit, invalida est citatio; quia facta à non habente potestatem: itaque in talibus initium spectare oportet: quod enim initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, reg. 29. ff. Hinc quando in c. uxore, 17. de sepultur. dicitur, dispositionem factam tempore inhabili, subsistere posse, si conferatur in tempus habile, non

Re e 2

proce-

procedit, si tempore inhabili disponens careat facultate disponendi. Electio tamen post mortem Prælati facta, subsequens ex tali tractatu, non est irrita ipso jure (cùm hoc jure cautum non reperitur) est tamen irritanda, cùm sit facta contra juris dispositionem, ut colligitur ex *c. Bone, cit.*

1855.

Advertendum autem per *tractatum*, hic reprobatum, eum intelligi, qui *collegialiter* fit, quasi ordinandò, aut statuendò, siue circa personam certam eligendam, siue circa tempus, aut locum, ad quem electores in proxima electione venire debeant. Talia enim decerni non possunt, sed de non vacante. At verò prohibitum non est *extra Capitulum*, seu collegialem Conventum; vel etiam in ipso Conventu Capitulari, sed incidenter tantum, ac veluti per accidens, mentionem facere de certa persona substituenda post mortem Prælati admodum senis, aut infirmi; cùm talis mentio non fiat in ordine ad decretum definitivum, aut ordinativum; ideoque non habeat rationem *tractatus Capitularis*. Cavendum tamen est, ne mutua promissio, aut pactum intercedat de certa eligenda persona: tales enim pactioes reprobantur. Quare cassari poterit electio postea facta, si ex ejusmodi pactioe originem cepisse appareat.

1856.

Cæterum Prælati, adhuc vivens, cum suis Capitularibus tractare potest de sui successoris electione, etiam proposita certa personâ eligendâ; Innocentius in *c. Bone, nu. 3. v. tractatum*; & colligitur ex *c. fin. dist. 79. junct. gloss. v. non possit*; talis tamen consultatio non ligat electores, quin possint alium eligere, cùm non habeat vim electionis, utpotè facta Ecclesia non vacante; nec Episcopus potest sibi successorem constituere, licet ad exitum vitæ pervenerit; nam licet olim Episcopo liceret sibi successorem eligere, ut dicitur *c. si Petrus, 8. q. 1.* tamen secus postea constitutum est, ut habetur *c. Episcopo, cum seq. 8. q. 1.* ibi: *Episcopo non licere pro se alium successorem sibi constituere*, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum sit hujusmodi constitutum. Servetur autem jus Ecclesiasticum, id continens, non oportere aliter fieri, nisi cum synodo, & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis

potestatem habent, eum, qui dignus extiterit, promovere.

§. II.

An Capitulares valide successorem eligant ante defuncti sepulturam, vel diem tertium depositionis?

Resp. esto decens sit, ut non fiat ante sepulturam Prælati defuncti, *c. Bone, 36. h. tit.* vel ante tertium diem depositionis, *c. nullus, 7. dist. 79.* absolute tamen, valere; quia Ecclesia *vacat* statim post obitum Prælati, & Capitularibus competit potestas eligendi, *c. Episcopo, 3. caus. 8. q. 1.* unde ibi solum dicitur, *non licere*. Si autem necessitas exigeret electionis accelerationem, etiam licita foret; *gloss. hic, v. tractatum*, in *c. Bone*. Nec obstat, quod in *c. Bone*, cassata fuerit electio Episcopi, *quia tractatus de illius electione factus est ante eius sepulturam*. Nam hæc causa fuit tantum impulsiva; non motiva. Cassatio enim principaliter est, quia tractatus ille fuit *ante illius mortem*; & tunc ex electoribus contemptus fuit, nec legitime vocatus, ut notat glossa communiter recepta in *c. Bone, v. tractatum*.

1857.

Si quæras, an, si electio fieri non posset ante sepulturam Prælati, tempus trium, vel sex mensium à jure præscriptum ad novum Prælatum eligendū nihilominus curreret? Resp. quod non; quia sic non deberet computari à die, vel hora mortis; *gloss. in c. postquam 1. v. tres menses, dist. 50.* sed potius à die sepulturæ; quia non valenti agere, non currit præscriptio, *L. 1. §. fin. C. de annali præscript.* & absurdum est, tempus illis currere, qui eligere non possunt, *c. quia diversitatem 1. §. de concess. præbend.*

1858.

Si autem quæras, quid agendum sepulto Prælato? Resp. antequam ad electionem procedatur, si non urgeat necessitas statim faciendi electionem, debere Electores, seu Capitulares, qui præsentibus sunt (quales etiam censentur non longè distantes) convenire *in Capitulo*, & diem electionis celebrandæ constituere capitulariter, eumque Electoribus absentibus per literas, vel nuntium, specialiter ad hoc deputatum, intimare. Colligitur, ex *c. cum inter, 18. h. tit.* & ibid *Layman nu. 1.* excipe, nisi alicubi sit consuetudo, ut Decanus, aut senior Capituli, terminum, intra quem, vel diem, quo electio

1859.

atio